



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divus Sebastianus Eberspergæ Boiorum Propitius, Seu
Cultus Eiusdem Gloriosi Martyris à Prima Loci Fundatione
Ad Nostra Usque Tempora Propagatus, Et Nunc Publicæ
Luci Datus**

Widl, Adam

Monachij

§. II. Cultus D. Sebastiani Mart. Eberspergæ Bojorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37233

las D. Sebastiano obligatas, quia pesti ereptas, adducit idem Auctor, ad quem piè curiosum Lectorem remitto, si præ compendio tomos amat,

§. II.

CULTUS D. SEBASTIANI
MARTYRIS EBERSPERGÆ
BOIORUM.

POST lustratas peregrè Regiones inspectatasque Urbes S. Sebastiano devotas Eberspergam ex itinere redeo. Verùm quid illa respectu tantarum, ac turritarum Civitatum? Num ipsa casas suas & mapalia illis opponet, & se putabit aliquam? Imò verò, si de S. Sebastiano agitur, præ omnibus ambitiosa Ebersperga videri cupièt, & quæ in Divi cultū à nulla Civitate vinci ultrò, ac lubens superari velit.

Tria ut plurimum sunt officiorum genera, quibus populi Cælitibus

Q 2

bus

242 *Cultus D. Seb. M. Ebersperg & Bojari*
bus addicti pietas probatur, & Cul-
tus Divorum maximè inclarescit.
Unum est, quo divina Sacrificia,
Ecclesie Mysteria, & Sacramentalia
uti vocant, continentur. Alterum
quod in adeundo gratiarum loco
pii peregrini publicum quasi testi-
monium deponunt; cum vel in
græ Urbes, pagi, & Oppida, vel etiam
singuli, prout quemvis Religio-
nis magnes trahit, se eò ferunt,
& actu ipso dicunt: en! adsumus,
vel voti exsolvendi rei, vel petenda
opis causâ in præsentî necessitate,
quæ nos vel in corpore, vel parte
animi tenerrimâ premit. Tertium
Cultûs argumentum petitur ex pio-
rum donis & anathematis variis,
quæ liberalis Benefactorum geni-
us ad perpetuam rei memoriam
benefico ejusmodi Divo ac Patro-
no suo relinquit. Et hæc quidem
sunt conspicuæ illæ ex auro, argen-
to, aliave pretiosa materia opes &
divitiæ, quæ nullibi clariùs splen-
dent.

dent, quàm in Domo DEI. Hæc omnia hoc loco distinctis pro more Paragraphis persequi est animus, non quidem eâ accuratâ, & pænè scrupulosâ solertiâ, ut minutim omnia pietatis officia prolaturi simus, ne in longum abeat narratio, sed ea tantum quæ suapte luce latere nolunt, & vel rerum præstantiâ, vel personarum dignitate supra vulgus commendationem merentur.

§. III.

CONGREGATIO SUB
NOMINE ET TITULO S. SE-
BASTIANI M. EBERSPERGÆ IN-
STITUTA ET PROPAGA-
GATA.

Locus quidem hîc foret, dicendi breviter aliquid de ornatu argenteo Eberspergensis Ecclesiæ, & decore Domûs DEI, de ordine Sacerdorum, & divinis officiis statò tempore ibidem haberi solitis, de
Q₃ fre-